THESES EX UNIVERSA PHILOSOPHIA SELECTÆ PUBLICÆ DISPUTATIONI...

THESES
EX UNIVERSA
PHILOSOPHIA
SELECTÆ

PUBLICÆ DISPUTATIONI EXPOSITÆ

IN CAROLINO NOBILIUM COLLEGIO

Societatis Jesu

A D. AZZO-HYACINTHO MALASPINA

S. R. I. MARCHIONE MULATII, CALICIS, MALIGNANI ETC.

Academiæ Argonautarum Principe,

PANORMI MDCCLXIII.

Ex Typographia Angeli Felicella.

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.



EX PHILOSOPHIA RATIONALI, ET ONTOLOGIA.

I. NULLUM est *Idearum* objectum reipsâ Universale; Nulla *Natura* Universalis *Platonica*; sed Genera, & Species non existunt, nisi in Individuis.

II. Cùm *Species* in Similitudine Individuorum, *Genera* in Similitudine Specierum, Genera Superiora in Similitudine Inferiorum rectè cum Wolfio reponantur, *Ideæ*, sive notiones tam Generum, quam Specierum nil continent nisi quod in Ideis præeuntibus Individuorum simile continebatur, indeque abstrahi poterat.

 Men-

III. Mentis *Judicium* positum non est in *Intuitu* mero convenientiæ, aut discrepantiæ idearum; sed in actu quodam consequente, qui sit *adhæsio* quædam mentis cognitæ Idearum convenientiæ, vel discrepantiæ.

IV. Plurimæ sunt propositiones certæ, & evidentes legitimâ consecutione deductæ ex Principiis iisdem certis, atque evidentibus: Atque inde contra *Scepticos* Scientiæ omnis osores *Scientiarum Existentia* rectè demonstratur.

V. Clara, ac distincta Cartesii Perceptio sufficiens, ac tutum non est Veritatis omnis *Criterium*: Neque Regulæ Logicæ rectè obtenduntur a Leibnitio, & Wolfio ut Veritatis cujusvis Criterium; sed quemadmodum sufficiens nota, certumque indicium vigiliæ vigilia est, & lucis lux ipsa; Ita cujuscunque Veritatis Criterium sufficiens Veritas est ipsa per se.

VI. Principium *Rationis Sufficientis* ab omni ævo Philosophis semper sacrum prætulit in legitimis ratiociniis *Causas* spectantibus *Necessarias*. Male tamen traducitur a Leibnitio, & Wolfio ad *Causas* etiam *Liberas*.

VII. In Causis Liberis *Ratio Sufficiens*, unde intelligitur, cur electio objecti potius sit, quam non sit, non est bonitatis objecti ipsius sive absolutæ, sive respectivæ cognitio, quæ conjungi etiam potest, & solet cum electionis omissione; sed hujusmodi Sufficiens Ratio est ipsa Causæ Liberæ libera determinatio. Necessario quidem *cognitio bonitatis* electioni præit, & cognitio majoris bonitatis necessario præit veræ prælationi. Neutram tamen cognitionem necessario consequitur sive electio, sive prælatio. Utraque cognitio necessaria, Utraque *alliciens*, ac sæpe inducens; Neutra tamen *necessitans* ne *moraliter* quidem, ut falso demum posuit Leibnitius contra Clarkium, aliosque Newtonianos.

VIII. Inter duo perfectè similia datur optioni locus, nullamque repugnantiam invehit *perfecta* duorum *Similitudo*: Principium igitur *Identitatis Indiscernibilium* Leibnitianum fundamento destituitur suo.

IX. Leibnitiana Principia Rationis Sufficientis, & Identitatis Indiscernibilium accensenda non sunt Principiis Ontolo-

logicis, in quibus jure optimo primas obtinet *Principium Contradictionis*.

X. Inter *Newtonianas* rectè philosophandi *Leges* meritò præcipitur in re physica *Analogiæ usus*, ista autem imperfecta inductio, sive a rebus visis ad non visis producta ratio tunc obtinet, cùm attributo nititur, & proprietati communi.

XI. Malè tamen per Newtonianas Leges *usus* proscribitur *Hypotheseos philosophicæ*, cui in Philosophia locum concedendum, rectè Wolfius statuit, ubi saltem nulla alia patet ad veritatem via.

XII. In re philosophica locus etiam est argumentis ab *Auctoritate* petitis, sive *Sacra*, sive *Prophana*. Et Sacra quidem Auctoritas, cum ad eas etiam facultates affertur, quæ naturali lumine continentur, firmissima præstat argumenta, & quandoque necessaria, non præferenda tamen argumentis philosophicis, quibus utimur laudabilius in Philosophia, quæ Religionis doctrinæ instituto suo obsequi debet, ac famulari.

XIII. Quoniam *Ars Critica*, ejusque argumentatio ad illam pertinet disciplinam, cujus finis est verum a falso discernere, hoc est ad Logicam, ut Eruditi Lypsienses censuere, rectè traduntur in Logica Leges, præceptionesque de *facti*, vel *dicti* historici veritate perquirenda. Excipiendæ potissimum sunt, quas ea de re præceptiones tradit Cl. Honoratus a S. Maria, nimirum 1. Summa habenda reverentia est priscis Scriptoribus Ecclesiasticis, & Patribus, quorum testimonium rejici exinde non debet, quod diversum quid tradant Hæretici; neque illorum deferende Auctoritas, nisi argumentis gravissimis abducamur in partem alteram. 2. *Argumentum negativum*, si quod ducitur a silentio Veterum, non est sine debitis cautionibus excipiendum: *Argumentum* autem *positivum* a Possibilitate, Convenientia, & Verosimilitudine ductum non debet luculentis opponi Veterum testimoniis. 3. *Traditio*, & *Usus*, ubi debitis contineantur limitibus, argumentum constant ad evidentiam pertingens moralem.

EX PSYCHOLOGIA RATIONALI, ET EMPIRICA.

XIV. Quandoquidem nobilior hominis pars anima est, hujus actus, atque naturam investigare prima hominis Philosophi, ac potissima cura est. Animæ perceptiones, quæ *Sensationes* vulgo audiunt, ab immutatione oriuntur in sensuum organis facta, appulsu, atque incursu sensibilium objectorum.

XV. Si *Sensatio Externa* spectetur in corpore, ipsius quædam modificatio, sive immutatio est a motu profecta, sive impetu sensorius impresso, sive ab objecto sensibili, sive ab hujus effluviis: Si sensatio spectetur in anima, nova ipsius modificatio vitalis est, cujus anima ipsa fit conscia notitiâ saltem experimentali. Sensatio igitur externa adæquatè inspecta modificationes complectitur omnino duas, animæ scilicet, & organi corporei.

XVI. Impressiones externis organis factæ ab objectis sensibilibus communicantur cerebro, in quo illæ sui vestigium relinquunt ad *Sensationes* omnes *Internas* Spirituum animalium actione obeundas.

XVII. Quamvis autem nulla in anima exurgat Sensatio, nisi organi externi immutatio præeat, atque ad cerebrum traducatur; Anima tamen non in solo cerebro, sed in singulis etiam corporeis organis Sensationes exercet suas.

XVIII. *Commercium* animæ, & corporis *mutuum*, sive mutua consensio, quam in animæ, & corporis operationibus deprehendimus, non rectè explicatur per Malebranchianum *Causarum Occasionalium* Systema, quod virtuti animæ activæ, & intimo hominum sensui insensum est, ac meritò rejectum a Leibnitianis.

XIX. Leibnitianum autem *Harmoniæ Præstabilitæ* Systema meritò etiam rejicitur a Newtonianis, quod intimæ hominum Conscientiæ adversetur, & seriem perceptionum in anima ponat absurdam, & seriem motuum in corpore, ac mechanismum admittat incredibilem, moralique Philosophiæ parum congruentem.

Et

XX. Etsi in systemate *Influxus Physici* difficilis explicatu modus sit, quo anima corpus arbitratu suo flectat, atque imperio moderetur, & vicissim ipsa ad operationes suas determinetur a corpore; hujusmodi tamen Systema prudenter amplectendum censent cum Musschenbroek Juniores plurimi, donec aliud probandum magis dies ipsa proferat.

XXI. In Systemate *Influxus Physici* ubi anima influit in corpus, & corpus in animam, realitatem nullam anima immittit in corpus, quæ ex spirituali materialis fiat; realitatem nullam in animam immittit corpus, quæ ex materiali spiritualis fiat, sed anima in corpus influit, quatenus virtute sua motum, & impetum in illo producit; Corpus influit in animam, quatenus animæ proponit objectorum species, eamque inde ad cognitionem determinat, ut qui lignum igni admovet, ignem determinat ad ligni combustionem.

XXII. Sensationem *Intellectiones* animæ excipiunt, ac consequuntur, quæ Ideæ ex Arnaldi, Lockiique mente dicuntur. Ad hujusmodi Ideas animam excitant, ac determinant Sensationes ipsæ, non *Species* Veterum *Intelligibiles*.

XXIII. Objecta, quæcunque ea sint, non intelligit, aut videt anima *in seipsa*; Neque *in Deo* percipit tanquam in Idea universali, ut falso opinatur Malebranchius.

XXIV. Nullæ sunt *Ideæ Innatæ*, quibus ab ipso Creationis exordio animam Cartesius immerito onerat, merito exonerat Lockius, quocum rectius pronunciaveris, quod

XXV. Ideam omnem, omnemque intellectionem rerum etiam Insensibilium, Universalium, Spiritualium anima sibi a sensibus comparat pro hoc vitæ statu.

XXVI. Verosimile quidem est, animam in vigilia nunquam a perceptione cessare: At verò ejusmodi perceptionem neque animæ *essentialem*, neque *perennem* etiam in somnis esse, jure statuas cum Lockio contra Wolfium.

XXVII. Anima nostra, licet a Lockio ex solo Religionis lumine *Spiritualis* agnoscatur, spiritualis tamen lumine etiam rationis naturalis agnoscitur, ac demonstratur.

XXVIII. *Materialismus* Hobbesii, & Tolandi manifestis naturalis Philosophiæ principiis adversatur apertè.

XXIX. Anima nostra substantia simplex est, Indivisibilis, Incorruptibilis; interire proinde nequit eo, quo intereunt, modo corpora.

XXX. Neque verò interire anima rationalis *naturaliter* potest alio quovis modo per actionem Agentis creati cujuscunque, licèt per Potentiam Dei, ut ajunt, absolutam annihilari queat.

XXXI. Hinc autem ex Wolfio solo Philosophiæ naturalis ductu *suapte naturâ Immortalis* demonstratur anima rationalis; cui scilicet *naturaliter* congruit Immortalitas, ut igni naturaliter calor congruit, & lapidi motus centralis; dependenter tamen a necessario Divinæ Conservationis Influxu; quod unum edocet Epistola Sophronii in VI. Synodo.

XXXII. Animæ rationales nec ab æterno *præexstitere*, nec inter *organica involuta corpuscula* a mundi exordio delituere, nec per *traducem* propagantur, neque creantur ab Intelligentiis, sed singulæ a Deo creantur in dies, perfectisque corpusculis infunduntur.

XXXIII. Bruta non sunt *Automata* mera, uti visum Cartesianis est; vera ipsis attribuenda anima est distincta a corpore.

XXXIV. Brutorum tamen anima a morte corporis superstes non est, ut Leibnitio placuit, & Wolfio, sed cum corpore interit.

XXXV. Neque verò adfirmare licet cum Sherlok, quód anima brutorum spiritualis sit, ejus tamen naturæ ut essentialiter pendeat a corpore, quocum tandem commoriatur.

XXXVI. Anima brutorum rectè cum Lockio quid tertium esse, dicitur, ac medium inter spiritum, ac corpus, ita tamen, ut ad corpus accedat propius; unde rectius dicatur *Materialis*.

XXXVII. Operationes brutorum omnes commodè expediantur per solas Imaginationis leges, & Appetitûs: Brutorum adeo anima *Rationalis* non est.

EX

EX THEOLOGIA NATURALI.

XXXVIII. Cum in successiva Causarum serie, quarum una ab alia producitur, progredi non liceat in infinitum, ipsa naturalis ratio edocet, sistendum tandem esse in *Causa* quadam *Prima* Increata, a qua reliquæ omnes profluant, ac pendeant. Hujusmodi Causa Prima Deus est O. M., cujus *Existentia* ab effectibus luculenter demonstratur.

XXXIX. Deus Ens est simplicissimum, ac Spiritus purissimus ab omni materiæ concretione immunis. Inter humanæ adeo mentis deliria cum Wolfio accensendus est *Spinosismus*, impium scilicet Benedicti Spinosæ Systema unicam in rebus ponens substantiam materialem, quæ Deus sit, duplici instructam proprietate Extensione, & Perceptione, cujus reliqua omnia modificationes sint, vel quatenus Extensæ, vel quatenus Percipientis.

XL. Deus Creaturas omnes conservat perpetuò, ac necessariò; cum ipsæ se conservare nequeant ne momento quidem temporis: Ipsis autem ex *indita virtute* operantibus cooperatur *Concursu Physico*, immediato, necessario.

XLI. Quæcunque in hac rerum serie eveniunt; libera Dei eveniunt Voluntate: *Fatalismus* igitur universalis falsa, & impia hypothesis est.

XLII. In operibus suis Deus nullo ducitur Principio *Rationis sufficientis* Leibnitiano. Neque contra sapientiam facit suam, ubi sua usus libertate ex duobus, quæ proferri in lucem queunt, objectis, unum creandum seligit, omittit alterum vel æqualis, vel majoris perfectionis.

XLIII. *Mundus* hic adspectabilis rerum hac universitatem complectens, *Optimus* quidem est in se ipso spectatus *propter decentissimum Ordinem his rebus attributum a Deo. Quorum si unum aliquod esset melius, corrumperetur proportio Ordinis*, ut habet D. Thomas 1. par. q. 25. art. 6. Optimè etiam omnium Mundus hic congruit Exemplari Divini Intellectûs, ac destinato fini Divinæ Gloriæ.

XLIV. At vero *Mundus* hic non est, ut Leibnitiani prædicant, *Omnium Possibilium Optimus* in relatione ad Omnipoten-

potentiam Divinam : Quæ quidem , ut subdit D. Thomas l. c. *posset alias res facere , vel alias addere istis rebus factis ; Et sic esset illud Universum melius : Qualibet enim re potest facere aliam meliorem*.

XLV. Qui Mundum hunc omnium possibilium Optimum faciunt , ac perfectissimum , plurimum detrahunt Omnipotentiæ Divinæ ; neque satis consulunt Divinæ Sapientiæ , cui se consulere , putant , maximè : Omnipotentiam enim , & Sapientiam Infinitam limitant ad hunc rerum Ordinem suapte naturâ finitum , ac limitatum.

EX COSMOLOGIA GENERALI.

XLVI. E*xistentia Corporum* rectè colligitur ex accurato, perpetuoque Sensuum testimonio ; quod quidem minime fallere exinde liquet , quòd Divinæ Bonitatis non sit facere , vel pati , ut homines larvatis Corporum imaginibus perpetuo , ac necessariò decipiantur . Quare *Idealismus* Berklei referendus inter somnia est , interque etiam connumerandus *Egoismus*.

XLVII. Prima , & essentialis Corporum proprietas *Extensio est* , non autem *Actualis* in loco , ut Cartesio placuit , *sed formalis in se* , & *subjectiva*.

XLVIII. Ad Corporum compositionem advocanda sunt Elementa omnino duo , quorum unum Indifferens , alterum Determinans . Hæc autem Elementa non nisi per hypotheses sive inutiles , sive improbabiles explicantur ulterius ab Elementaristis , & Mechanicis ; qui rectiùs conquiescerent in abstractis vocibus Elementi Indifferentis , & Determinantis , sive , ut malunt Peripatetici , Materiæ , & Formæ.

IL. Ex Formis autem non omnes *Modales* sunt ; nonnullæ sint , oportet , *Absolutæ* , ut *Vires insitæ* , aliæque id genus , quæ meris modis haud rectissimè committuntur.

L. Affectio corporis naturalis potissima *Motus* est ; cujus *Existentia* liquido constat submotis nullo negotio Veterum Sophismatis.

LI. Definitio Motûs Cartesiana plurima peccat : Præponenda illi est Definitio Wolfiana , quamdiu melior non suppetit.

Af-

LII. *Affectio Motûs* præcipua *Velocitas* est; hæc æstimanda ex tempore lationis, & spatio per id tempus a mobili percurso, ita ut sit $V = \frac{S}{T}$; & spatium percursum ex tempore æstimandum in velocitatem ducto, ut sit $S = TXV$.

LIII. Velocitates in motu æquabili, Velocitatis incrementa in motu uniformiter accelerato, Velocitatis decrementa in motu uniformiter retardato sunt temporibus proportionalia.

LIV. *Quantitas Motûs* ex massa, sive pondere ipsius mobilis, ejusque velocitate æstimanda est, ut sit factum ex pondere in velocitatem ducto. Ex hujusmodi factorum æqualitate Theoremata Staticæ, & Hydrostaticæ fundamentalia derivantur; Ex Inæqualitate verò Theoremata Mechanicæ, & Hydraulicæ.

LV. Corpus ita suspensum, ut linea, ex qua suspenditur, per centrum transeat gravitatis, quiescet: Similiter quiescet, si centro gravitatis innititur: Atque inde definiendum, utrum corpus in dato situ a lapsu securum sit, necne. Inde etiam cum Borello explicantur commodè motus omnes & hominum, & animalium.

LVI. Actio Potentiæ obstaculum loco moventis æstimanda ex pondere obstaculi, ejusque velocitate.

LVII. Si Potentia, & obstaculum, vel si duo pondera in *Vecti*, vel *Libra* ita circum punctum immobile constituantur, ut distantiæ eorumdem a puncto immobili sint reciprocè ut pondera, immota manebunt in *æquilibrio*.

LVIII. Potentia licèt debilior obstaculum quantumvis fortius loco movebit, si ita circa punctum machinæ immobile sit applicata, ut factum ex Potentia in distantiam a puncto immobili majus sit facto ex obstaculo in distantiam ejus ab eodem puncto immobili, seu centro motûs. Atque hinc infinita *virtus Vectis*, ad quam machinæ omnes revocantur.

LIX Gravia ascendunt motu retardato, descendunt accelerato juxta *Theoriam Galilæanam*.

LX. Si Grave liberè prius descendat, & deinde æquali tempore per *Planum inclinatum* devolvatur, spatia percurret,

quæ

quæ sint in ratione longitudinis plani ad hujus altitudinem. Hinc *Pendulum* in describenda semioscillatione per arcum admodum per parvum id temporis impendit, quo perpendiculariter proruens percurreret diametrum circuli, seu duplam longitudinem. Tempora autem oscillationum sunt in ratione subduplicata longitudinis Pendulorum.

LXI. *Dynamicæ Leges*, quas ubi *directè* congrediuntur, in mutuo impactu, atque conflictu servant Corpora, diversæ sint, oportet, pro diversis Corporibus Duris, Mollibus, Elasticis.

LXII. In Corporum conflictu non eadem conservatur *Motûs quantitas*, ut Cartesius censuit. Neque eadem in Universo conservatur *Virium Vivarum quantitas*, ut cum Leibnitio docuit Wolfius: Rectius cum Newtonianis excipitur spontanea Virium Vivarum diminutio.

LXIII. *Virium Vivarum* mensura repetenda cum Leibnitio non est a massis in *quadrata* velocitatum ductis: Rectius cum Papino *Vires Vivæ*, uti & *Mortuæ* æstimantur ex massis in simplices velocitates ductis, cùm ea in re habenda in primis sit ratio temporis.

LXIV. Corpus a duabus simul viribus secundùm diversas directiones duo parallelogrammi latera referentes ad motum æquabilem determinatum diagonalem parallelogrammi percurret eo ipso tempore, quo viribus separatis percurrisset latera.

LXV. Quilibet motus simplex, & ab unica profectus vi, spectari potest tanquam compositus, atque a duabus ortus viribus secundum diversis directiones agentibus. Atque inde pulchrè cum Musschenbroek derivantur Leges, quas servant Corpora in conflictu, seu *percussione obliqua*.

LXVI. Corpus grave tam horizontaliter, quam obliquè sive sursum, sive deorsum projectum *Curvam* describit *Parabolicam*, in qua scilicet *Abscissæ* sunt inter se, ut *Quadrata Ordinatarum*. Atque hinc plures profluunt *Balisticæ* Leges.

LXVII. Ex unius, ejusdemque fluidi partibus inferior a superiore incumbente premitur, nedum perpendiculariter,

sed

sed etiam lateraliter; Et quantum premitur inferior, tantumdem reprimit superiorem. Atque adeo Gravia in *Locis* etiam *propriis* gravitant.

LXVIII. In Tubis communicantibus *Fluida* homogenea eandem obtinent altitudinem: *Heterogeneorum* verò altitudines sunt inter se in ratione inversa gravitatum.

LXIX. Solidum levius in fluidum gravius liberè demissum eo usque illi immergitur, donec fluidi volumen, quod excluditur, sit illi pondere æquale. Si vero solidum gravius in fluidum levius immergitur, tantum sui ponderis amittit, quantum est pondus fluidi æqualis molis, quod loco truditur.

LXX. *Torricelliana Experimenta* in tubis vulgaribus Hydrostaticis Legibus subjiciuntur: Horum causa non a *Metu Vacui*, sed ab *Æquilibrio* inter Vires aeris extrinsecùs prementis, & Vires liquorum repetenda est.

LXXI. Aeris etiam gravis, & elastici viribus jure imputantur *Mercurii Barometrici Variationes*.

LXXII. Eodem jure aeris gravitati, & elaterio assignandus est Magdeburgensium *Hemisphæriorum*, Anglicanarumque *Laminarum adhæsus*.

LXXIII. *Hugeniana* etiam *Experimenta* eidem causæ attribuenda sunt, a viribus scilicet aeris in machina superstitis intra eamdem *Aqua repurgata* suspenditur. *Boileana* verò *Experimenta*, quæ non adhibitâ antliâ, ipso Auctore profitente, instituta sunt, externo aeri videntur tribuenda: Cujus quidem elasticæ vires ab aeris intestini defectu, & a mutua, ac *respectiva* Mercurii *adhæsione* adjuvantur plurimum.

LXXIV. Corporum gravitas, ac motus perpendicularis deorsum non oritur a *Verticibus* sive Cartesianis, sive Hugenianis materiæ ethereæ Telluri circumfluentis.

LXXV. Neque verò ea gravitatio, & motus Corporum oriri potest a *Fluidissima Substantia*, quæ a centro Terræ secundum rectam lineam recedere quaquaversùs in orbem nititur; quæque radiationem quamdam producat radiationi lucis analogam, ut censuit Leibnitius.

LXXVI. Neque hujusmodi gravitatio, & motus Corporum re-

repeti potest cum Dn. Hamel a *substantia fluidissima*, quæ ad Terræ centrum nitatur rectâ accedere: Neque cum Gassendo committi phœnomenon potest *Telluris Magnetismo*. Rectiùs a Peripatericis hunc advocatur Vis non extrinseca, sed intrinseca immechanica, uti ipsis est *Gravitas*.

LXXVII. Agnoscenda utique cum Newtanianis in natura *Attractio* quædam Corporum *Universalis*, sive Attractionis, vel Gravitationis Universalis species, quam innumera deprædicant experimenta: At verò Attractionis hujus, sive Gravitationis *Leges Newtanianæ* nulla ratione sufficiente commendantur.

EX COSMOLOGIA PARTICULARI.

LXXVIII. UTrum *Terræ figura* sphœroidalis sit, sub Æquatore elata, circa Polos compressa, quæ Newtoni sententia est; vel contra sub Æquatore depressa, circa Polos utrinque prolata, quæ Cassini sententia est, non liquet hactenus: Neque definiri tutò res potest ex observationibus sub Æquatore, & prope Polum nuper institutis ab Academicis Parisiensibus. Illud certò cum Wolfio licet statuere, quòd Terræ, figura sit propemodum, seu sensibiliter Sphœrica.

LXXIX. *Fontium Origo* partim ex aquis pluviis, solutisque nivibus cum Mariotto, & Vallisnerio, partim ex aquis marinis petenda cum Varenio, & Bernohullio.

LXXX. Celeberrimum *Marini Æstus* phœnomenon non annuo, diurnoque Telluris motui cum Galilæo & Keplero, sed cum Junioribus Philosophis Lunæ tanquam Causæ imputandum est.

LXXXI. Modus autem quo a Luna oriatur *Maris Æstus*, ejusque periodi diurna, menstrua, annua, neque per *diversam* Atmosphœræ terrestris *pressionem* rectè explicantur; Neque per *Vortices Cartesianos*; Neque per *Attractionem Newtonianam*.

LXXXII. Ad *Terræ motuum* phœnomena extricanda inepta Bottarii, aliorumque sententia est, qui eos a Ventorum vi supra Terræ superficiem concursantium repetunt: Inepta etiam

etiam illorum opinio est, qui Terræmotus oriri jubent ab aere Telluris interno externi aeris, vel venti illapsu compresso.

LXXXIII. Verosimilior, atque ordinaria *Terræmotûs Causa* Ignis est subterraneus in materia præsertim nitroso sulphurea accensus. Ex simili materia cuduntur fulmina, ac similia Metheora.

LXXXIV. *Aurora Borealis* phœnomenon non est Cœleste Emphaticum, aut Terrestre a Solis, Lunæve radiis reflexis productum; sed Metheoron est Terrestre ignitum, ut fulgur, ac fulmen, diversâ licèt conflatum materia, ac ratione.

LXXXV. Systema Cartesianum de *Luce ubique diffusa* verosimile non est: Verosimile contra Systema Newtonianum de *Luce* a corpore lucido *emanante*.

LXXXVI. *Colores* diversi, qui inesse videntur corporibus, radiis revera insunt lucis, quos corpora ipsa pro diversa superficie diverso regerunt modo in oculum spectatoris, ut rectè ponit Newtonus.

LXXXVII. *Effluvii Electrici* emissio derivanda est a calore Electrici corporis per affrictum excitato, & a motu partium tremulo, ac vibratorio.

LXXXVIII. Effluvia a corpore Electrico per affrictum, & motum partium emissa Causa sunt *Accessûs*, & *Recessûs*, qui in levibus corpusculis deprehenditur Electrico circumpositis.

LXXXIX. *Effluvia* etiam *Electrica* hinc inde ab Electricis, & non Electricis debite applicatis emissa, aut impedita Causa sunt, *Lucis Scintillarum*, & *Concussionis* membrorum, ac similium phœnomenorum.

XC. Sonori corporis *Sonus* in tremore positus est, quem insensibiles corporis partes a percussione concipiunt. Hujusmodi tremor aeris particulis successivè communicatus, & ad aurem usque perductus Soni excitat Sensationem.

EX COSMOTHEORIA.

XCI. P*tolemaicum* Mundi *Systema* Astronomicis advertatur observationibus; atque inde rejiciendum.

Co-

XCII. *Copernicanum* Mundi *Systema* Astronomiæ apprimè consonat, positâ distantiâ fixarum infinita; sed eam fixarum distantiam precario sumit.

XCIII. Nulla est demonstratio, nulla observatio Astronomica, ex qua colligi legitime queat, Terram moveri, Solemque conquiescere in Universi centro.

XCIV. Imo vero quæ in aerea atmosphœra contingunt phœnomena, ægrè admodum Systemati congruunt Copernicano, quod in reliquis Physicæ non videtur infensum.

XCV. *Tychonicum* Mundi *Systema* Astronomiæ planè consonat; Physicæ non adversatur. Quare pensatis hinc inde omnibus, Tychonicum Systema Copernicano præferendum est.

XCVI. Motus Corporum Cælestium oritur a Viribus *Centripetra*, & *Centrifuga* juxta theoriam Virium Centralium Newtonianam.

XCVII. In *Luna*, reliquisque Planetis, si Solem excipias, nulla est *Atmosphœra* circumfusa gravis, & elastica, nostræque similis.

XCVIII. Nulla est observatio Astronomica, nullum argumentum, unde prudenter conjiciatur, esse in Luna maria, lacus, flumina. Temere autem Lunæ attribuuntur plantæ, animalia, & *Incolæ*; qui temerè etiam invehuntur in Planetas reliquos.

IC. Solis substantia ignea, vel certè ignita est; Soli Atmosphœra circumfunditur, quæ plurium phœnomenorum Cælestium origo est.

C. *Cometæ* ignea phœnomena non sunt terrestris Atmosphœræ, sed Corpora in spatiis Planetariis latè procurrentia, & verosimilius juxta Cassini, ac Newtoni sententiam, Sydera errantia Mundo coæva, quæ in Trajectoriis deferantur maximis, ac valde excentricis, viderique nequeant, nisi in parte versentur orbitæ suæ perigæa, vel perihelia.

FINIS.